



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput II. a Felix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

Titul. I. De accusationibus.

7

evidentia: & hoc sensu legimus Claudium Gorgum lenocinii absque accusatore damnatum, l. 1. §. unde quari, ff. ad leg. lml. de adulst. & Julianum Cæsarem capitali supplicio affectis libertum, alioqui sibi gravissimum (quamvis nullo accusante) eo quod Equis Romani uxorem adulterasser, apud Suetonium in lml. cap. 48. Unde intelligitur lex l. C. de custod. reor. in illis verbis: *Sive accusator existat, sive eum publice soliciudinis cura produxerit. Ubi per publica solicitudinis curam intelliguntur officiales, stationarii, milites, seu harenarchi, de quibus Tertul. in apologet. ait: Latoribus investigandis per universas provincias militaris statio sortitur. Duanus lib. 1. disp. cap. 38 Rewardus lib. 4. variar. cap. 11. Formeriorius ubi supra.*

^{12.} Sed supra tradita assertio primò obstat textus in cap. nullis 4. hoc titul. ubi cùm quidam familiares cuiusdam Episcopum ipsum de quodam crimen accusarent, ipse exceptionem illegitimatis opposuit, nullis 5. assertens eos criminosos esse, malæ famæ, & vilis opinionis: cùmque quereretur, an accusatores silent audiendi, respondit Paschalis, non licere Episcopo à sua accusatione repellere, quos à sua communia familiaritate neglexit separare, antequam ipsum accusarent. Ex quo textu deducitur, criminosos ad accusandum Episcopum admitti, nec etiam oppositum criminis exceptione eos repellere: igitur etiam illegitimus sit accusator, reus vexatur. Agnovit difficultatem Glossa in eo textu, & eam solvere intendit duplice modo. Primò assertit, criminofos accusatores in hujus textus specie admissos fuisse, quia Episcopus de exceptis criminibus publicè infamatus erat, in quibus illegitimi etiam, & minus idonei accusatores admittuntur, cap. per inas, de simonia, supra probavi. Quam Glossa sententiam plures tenuisse assertit Hostiensis ibi num. 3. Sed

quia hæc solutio verbis textus non congruit, siquidem in eo non agitur de criminibus exceptis, id est ab ea recedit Glossa, & verius docet, quod licet criminosi legitimi accusatores non sint, juxta suprà tradita; tamen cùm Episcopus accusatur à suis familiaribus, non potest eos ut criminosos repellere, cùm prius deberet eos à sua familiaritate abiecere, alias non creditur homines male famæ, & vilis opinio in sua familiaritate retinuisse, ut in eo textu dicemus.

Secundo suprà traditis obstat textus in l. 3. §. præterea, ff. de suspect. tutor. in illis verbis: *Præterea Expone videndum est, an & sine accusatore posset suspectus repelli? Et magis est, ut repelli debeat. Ex quibus præterea constat, posse quem sine accusatore damna-*

^{13.} *tur l. 3. §. reas. de suspect. tutor.*

ri: ergo multò facilius cum illegitimo accusatore. Nec dici potest, in eo textu judicem per inquisitionem processisse; quia ad utilitatem privatam officio suo judex crimen inquire non potest, ut ibi notavit Gothofredus. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, quod licet regulariter nemo damnetur sine accusatore, tamen jure singulari receptum est, quod si Prætori liqueat argumentis evidentissimi tuorem suspectum esse, & male versari in tutela, vel cura, eum removere possit, quod specialiter inductum fuit pupillorum favore, & ob publicam utilitatem, quoniam negotia pupillaria pertinent ad publicam curam, l. 10. §. ult. ff. de restam, ruel. l. 1. ff. de excus. tut. l. 2. ff. qui petant tutor. l. 2. §. tractari, ff. ad Tertyl. l. 19. C. Theod. de curat. ut expresse docetur in d. §. præterea, & noravit Cujac. ad tit. C. de suspect. tutor.

Etiam praesenti assertioni opponi potest textus in c. quam gravi, de excessibus Prelat. cuius interpretationem dedi in c. 2 de confess. Porro, de divorce & ejus interpretationem in ejus notis adduxi.

C A P U T II.

a Felix,

Hæc sunt quæ deinceps propter malorum hominum infidias, qui in Ecclesiam & in ecclesiasticos sæviant viros indifferenter, conservari firmissimè volumus in secula. Si quis Episcopus ab illis a acculturis, qui recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquam ipse ab eis a charitatibꝫ conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, & eam corrigerere noluerit, non olim, sed tunc ad Summos Primate causa ejus canonice deferatur, qui in congruo loco intra ipsam provinciam, tempore congruo, id est, autumnali, vel aestivo, Concilium regulariter convolare debebunt, ita ut ab omnibus ejusdem provinciae Episcopis inibi audiatur. Quòd & ipse regulariter convocatus, si eum aut infirmitas, aut alia gravis necessitas non detinuerit, adeste debebit, quia ultra provinciæ terminos accusandi ante licentia non est, quam audience rogetur.

N O T A.

Felix.] Ita legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. 8 in hac autem sexta collectione legitur *idem*, quasi idem auctor sit hujus textus, & antecedentis: sed Felicem II. auctorem esse illius textus, jam probavi; præsentem vero textum esse Felicis I. constat ex ejus epistola 2, quæ extat tom. 2. Concilior. ex qua transcripta litteram hujus textus, etiam neglecta temporum serie. Concilii utrumque capit ejusdem Felicis esse arbitratur. Burchardus lib. 1. Decreti, cap. 169. & 174. Carnotensis lib. 5. Decreti, cap. 271. & 292. ex Felice illum citant. Etiam reperitur textus hic in col-

lectione canonum Hadriani notis illustrata ab Ant. Augustino tom. 1. Concilior. Binii, & 18. Regia editionis, can. 5. Hujus thematis sententia referatur turn ab Athanasio, & Alex. Synodo, rum ab eodem Felice minore cap. 2. & 3. epist. 1. ad eundem Athanasium, quæ testis est, hoc etiam fuisse sumptum ex Nicena Synodo: sed ante eam Synodus eadem fuit sententia tam primi Felicis, quam Stephani epist. 2. & postea reperitur in addit. capit. lib. 7. cap. 143. Felix primus electus fuit ultimo die anni 172. & martyrio coronatus die 30. Maii anno 275. ut post Baronium in eo anno, & in Martyrol. die 30. referunt Binius d. tom. 1. Concil. Ciaconius tom. 1 de vit. Pontific. Carolus & sancte

A 4

sancio Paulo in Biblioth. Pontific. littera F.

2. b Accusatoribus] Glosa , Abbas , & repetentes in praesenti anxie querunt , quomodo plures accusatores admittantur in hoc casu , cum non possint plures unum simul accusare , quando agitur ad publicam vindictam , l. si plures i. 6. ff. hoc tit. l. 2. infine , l. 29. §. penult. ff. ad leg. Iul. de adult. l. 4. C. hoc titul. l. 3. in princip. & §. si ad plures , ff. de se p. br. violat. l. 13. tit. 1. part. 7. late docent Ant. Matthaeus ad tit. de accusat. cap. 2. Ant. Gomez lib. 3. variar. c. 1. num. 35. Jul. Clarus §. ult. quest. 13. num. 1. Decianus lib. 3. tract. crimin. c. 32. a princip. ex quibus sunt qui afficitur , principium hoc procedere tantum in accusatione , non verò in denunciatione , de qua in praesenti agitur. Sed hanc solutionem rejiciunt Abbas huc , num. 2. Felinus nn. 1. quia ratio , quā inititur Consultus in d. l. si plures , æquè viget in denunciatione , ac in accusatione , nec in hac parte inter eas ullum datur discrimen. Quare cā solutione omisā , communiter placuit Felicem in praesenti agere de pluribus accusatoribus ; non quia plures simul admitti debeant , juxta textus proxinē adductos , sed quia si fuerint admissi , & accusatus non opponant , processus sustinetur. Ita docuerunt Glosa 1 per textum ibi , in d. l. 4. C. hoc titul. Abbas , & alii repetentes in praesenti. Ant. Gomez , & Jul. Clarus ubi supra. Verum hæc interpretatione admitti nequit , quia credi non potest , sanctum Felicem agere de pluribus accusatoribus , qui attempo iure communi admitti non possunt , etiam si in idem admissis processus sustinetur parte non opponente. Alii discrimen constituant inter eum causum , in quo plures aliquem accusare volunt ad vindictam tantum publicam , nullum interesse ex accusatione capientes , nec suam , suorumve injuriā prosequentes ; & inter eum casum , in quo pro suo interesse ad accusandum procedunt ; quando enim nullius accusantium interesse versatur , ex accusatoribus unus eligitur , quis sit magis idoneus , d. l. si plures , cum similibus. Secundo verò casu quando omnium accusantium interesse versatur , omnes admitti debent , cap. olim , hoc titul. l. 3. §. si plures , ff. de sepulchro violato : docent Salicetus in d. l. 4. Cod. hoc titul. Anania in cap. 1. num. 3. de collus. deteg Jul. Clarus d. §. final. Greg. Lopez in d. l. 2. partit. quo casu accipiunt præsentem textum ; nam cum subdit Episcopum suum de criminibus deferrunt , post admonitionem causam suam prosequuntur , & pro suo interesse Episcopi crimina coram legitimo judice deferunt ; nam cujuslibet eorum interest bonum habere Prælatum bonis moribus prædictum ; unde meritò omnes accusatores admisi fuerunt. Sed verius dicendum est , in praesenti textu Pontificem non agere de uno , vel pluribus accusatoribus unius delicti , vel Episcopi ; sed tantum regulam generalem tradere servandam in accusacionibus Episcoporum ; unde supponit Pontifex , eos tantum admittendos esse , qui de jure possint admitti ; siquidem signanter ait , qui recipiendi sunt. Per quæ posteriora verba non tantum explicantur , verum etiam restringuntur præcedentia , quæ de pluribus agunt , ita ut non comprehendant omnes cuiuscunque qualitatæ , sed illos , qui recipiendi sunt , & ita legitimos , juxta tradita superiori commentario : & deinde non semper , nec indistinctè admittantur omnes in quibuscumque casibus , sed illi , qui in iisdem recipiendi sunt , id est in casibus , in quibus iure possint recipi , pro ut contingit ubi plures non de uno , sed de pluribus criminibus aliquem accusant , ut innuit Pontifex in illis verbis:

causa ejus ad Primates canonicè deferatur ; significans non unam , sed plures causas criminum contra Episcopum proponi , veluti plures ratione unius officii , veluti tutoris ; vel unum representantes , cap. licet , cap. penult. hoc eodem titulo ; profuso commido , & in causam propria , veluti coheredes , aut contortes ejusdem litis : velratione injuria communis , plures unum de unico crimine accusantes , juxta tradita per Bartolum in d. l. si plures ; vel cum plures inter se ita convenienter , quo casu etiam in judiciis publicis plures admittendos esse docuerunt Duarenus lib. 1. disp. cap. 39. Ant. Matthaeus ad tit. de accusat. cap. 2. unde Felix in praesenti generalem tradit doctrinam servandam in accusatione Episcoporum , juxta principia juris , non quia specialiter consultus fuisset de Episcopo à pluribus accusato.

c Qui recipiendi sunt] Id est non criminosi , & infames , ut postea expolit in eadem epistola Pontifex in cap. infamis persona 3. quest. 7. cap. facundiorum 3. quest. 10. & ali similes. Nec obstat textus in cap. oves 2. quest. 7. ubi docetur , quod subditi Prælatum suum accusare non possunt , nisi a reæ fide deviatorint : ergo in praesenti textu non reæ supponit Felix , Episcopum à propriis subditis fuisse accusatum. Augetnr hæc difficultas ex cap. clericis , ad. q. ubi aperte docetur , sacerdotes adversus Episcopum nec accusationem proponere , nec testimonium proferre posse ; quod latius probant Baronius anno 112. n. 10. & 199. n. 6. Turrianus lib. 3. pro canon. c. 12. & 13. Pro cuius difficultas solutione discrimen est constituendum inter subditos bonos , & criminosos ; & inter accusationem ex affectu fraternæ charitatis propositam , & inter eam , quam pravo , & maligno animo proponunt. Primo casu prohibentur criminosi , & etiam illi , qui malo affectu , non ex charitate , sed ex pravitate vitam superiorem infamare ; & reprehendere intendunt. Unde Evaristus in cap. si quis sunt 17. 2. quest. 7. prohibet ne opinione indiscreti audiantur accusatores Episcoporum. Illustrat Ant. Augustin. in notis ad can. Hadriani V. Concilior. fol. 509. secundo verò casu Episcopi ab honestis , & probis subditis ex affectu charitatis accusari valent , unde D. Augustin. in cap. præsumunt 2. quest. 7. Præsumunt Prælati non debere se reprehendi , vel accusari pro eo , quod canones passim non constituerunt eos accusandos , quod tantum negant solis criminosis , cum de se reprehendendo Veritas ipsa testetur : Si male locutus sum , perhibe testimonium de malo. Facit Damianus P. in quadam epistola ad Alex. Pap. Quis est hic arrogantia & nimor , quis elationis fastu , ut quod insolenter excessum est , a suis subditis dedigentur audire ? Nec his allegationibus utendum est , nisi dicant , se non debere ab his accusari , ne videantur suis excessibus velamen obtendere. Et in c. querendum ead. 2. q. 7. dicitur , quod qui non sunt recte fidei , & conversationis , & quorum vita est accusabilis , non possunt maiores natu accusare ; & hoc casu intelligendi sunt textus in d. c. oves . c. qualis , c. majorum , c. sententia 2. q. 7. in quibus prohibi- detur talis accusatio : at verò subdi probi , & alias ad accusandum idonei , possunt suos Prælatos accusare , ut probat textus sic intelligendus in c. sent. 4. 6. 2. q. 7. & hoc casu procedit præfens textus , ubi statuit Felix Episcopum , non à quibuslibet posse accusari , sed ab illis tantum , qui recipiendi sunt ; hoc est , à subditis probis , & honestis , & ex affectu charitatis accusacionem proponentibus. Nec huic solutioni obstat textus in d. cap. oves , in illis verbis : Nisi a si de exorbitaverit. Ex quibus deducitur , sacrificiis ca-

nonibus

Tit. I. De accusationibus.

9

nonibus esse definitum, & præscriptum casum in quo subditi possunt accusare suos Prælatos: igitur in nullo alio casu Prælati accusatio subditis est permittenda: nam huius difficultati facile ex sua ratio dicere respondeatur; ea enim verba sic intelligi debent, quod subditi, criminosi, & infames Pastorem suum accusare non possunt, nisi à fide exorbitaverit: certum si à fide discesserit, tanta est hujus criminis labes, ut etiam criminosi ad eum accusationem admittantur, cap. in fidem favorum, de ha- ret. in 6. docuit Turrificremata in dict. cap. or. 2., num. 2. & 3. nec etiam obstat textus in d. cap. clericus, cui omisso Glossæ duplice solutione ibi, verbo Laius, respondendum est, textum illum procedere in clericis in minori gradu constitutis, qui majorum criminis deferunt, non gratia correctionis, sed ex pravo animo: qui merito ab accusatione repelluntur, cum non ex affectu charitatis prosiliant, ut ibi notavit Turrificremata.

d Charitativè conveniens.] Id est monitus, ut post Glossam exponunt omnes repentes in praesenti. Sed tunc obstat, quod Felix in praesenti agit de accusatione, ut constat ex illis verbis, accusatoribus, & accusatis: at in accusatione nulla requiriatur monitus charitativa, c. veniens, c. licet, hoc tit. quam monitus tantum desideratur ad denunciationem evangelicam, que ad pœnitentiam, & emendationem dirigitur, juxta caput novit, de jaducis: probatur in c. qualiter 2.4. in fine, ibi: Denunciationem charitativa monitus, hoc tit. In accusatione vero, per quam ad vindictam publicam agitur, à qua reus per pœnitentiam, & emendationem non liberatur, l. qui ea 67. vers. nem. ff. deferrit, ea monitus non est necessaria, nec effectum habere potest, ut facis colligitur ex d. c. qualiter, ad finem, ubi constituitur differentia inter denunciationem, in qua monitus charitativa desideratur, & accusationem, in qua non v. onitio, sed inscriptio requiritur. Quam difficultatem ut effugiant omnes repentes hic, praesentem textum accipiunt non de accusatione, sed de denunciatione; & verba illa, accusatoribus, & accusatis, pro denuntiatoribus & denunciatis accipit Glossa 1. in præsenti, & in c. licet Heli, hoc tit. quam communiter sequuntur omnes, ut refert Felinus hic, n.2. Sed hæc communis interpretatione sustineri non potest, si quidem expresse repugnat verbis textus. Deinde quia ex illis verbis, canamendare, & eam corrigerem noluerit, satis deducitur, Pontificem agere de accusatione, per quam Episcopus impetrabatur; quia damnum datum accusatori non emendabat, partique lœsa non satisfaciebat, unde alii putarunt, praesentem textum specialiter procedere in Episcopo, qui accusari nequit, nisi pœnitissa monitione: quem intellectum rejectit Abbas hic, n. penult. ex d. c. veniens, d. cap. licet, quibus frustra satisfacere intendit Beronus hic num. ult. vers. Circa secundum. Quibus omissis dicendum est, sanctum Felicem in praesenti agere de subditi accusantibus Episcopum civiliter de crimine aliquo ad propriam utilitatem, & emendationem damni ab eo dati, ut innuantur verba proximè expensa: quo casu necessaria est præcedens monitus, id est interpellatio extrajudicialis, c. si quis erga 2. q. 7. cuius textus verba mirè convenient cum verbis præsentis textus; de qua etiam accusatione ad privatum commodum, seu propter damnum privato illatum emendandum, loquuntur textus in c. accusatio 15. in fine 2.9.7. Alexander epist. 1. p. 67. princip. ibi: De his clericis, & laicis, qui Episcopos, vel reliquos Sacerdotes prius tam ad Primate corum, quam ad

reliquos accusant judges, quam auribus eorum, à quibus se laos existimant, inculcant, ut ab eis, aut ius suum, ut iustum recipiant apologiam, &c. Stephanus epist. 2. ibi: Nec aliquis eorum (Episcoporum) aut Ecclesiastarum actionum, vel defensionum ad aliquos prius accusari debet, quam ipse charitativè bis, aut ter ab eis, qui se laos existimant, vel eos pro aliquibus errantibus corrisperere cupiunt, convenientur, ut ab eis, aut familiarem emendationem, aut iustum recipiant excusationem. Athanasius ex Synodo Nicæna relatus ab Ant. August. in epist. lib. 30. tit. 2. ibi: Si erga Episcopam, vel actores Ecclesie quisquam causam habuerit, eos cum charitate mansuetè convenient, ut ab eis vulnus rectè sanetur, aut ipse, si scimus egerit, accusator excommunicetur. Unde rectè juxta antiquorum PP. sententiam Felix in praesenti statuit in accusatione Episcopi procedi debere ad emendationem, quia agebatur de injuria privata illata. Facit textus in L. quidam Hiberus 12 ff. de servit. urbanor. junctis Osvaldo lib. 17. Donelli, cap. 1. littera B. Meril. lib. 3. obj. cap. 8.

e Primates.] Quamvis inspecto jure civili, & apud bona nota auctores Primate passim dicuntur, qui alios auctoritate, dignitate, vel officio antecellunt, & primum locum obtinentes, à reliquis distinguntur, l. sciendum 4. vers. Sed & si, ibi: Primitibus, ff. de legationibus, l. ult. C. de offic. divers. judic. 1.1. junctâ tuoricâ, C. de Alexandria Primitibus, lib. II. c. 1. de pace firmand. in usib. fendor. Tiraquel. de nobilit. c. 37. n. 36. in jure tamen canonico Prima dicuntur is, qui apud ecclesiasticos in provincia, regno, vel natione aliqua primam sedis dignitatem habet, in quo sensu Primate appellantur Patriarchæ, quali principes Patrium; qui Patriarchæ à Primitibus potius nomine, quam re, dignitate, aut officio differre, dicuntur in cap. duo simul. de officio, ordinarii, c. antiqua, de privilegi. docent plures laudati à Cenedo ad Decret. collect. 58. n. 1. Caſare de eccl. ast. hierarch. disp. 4. §. 3. Juxta hanc ergo acceptiōem probat textus hic, causam, in qua Episcopus accusatur, deferendam esse ad Primate, seu Patriarchas: quod etiam probat in c. Primate 2. q. 1. cap. 1. in princip. 4. q. 5. ibi: Ad Primate provincie. Sed obstat quod hujusmodi cause Episcoporum non ad Primate, seu Patriarchas, sed ad Archiepiscopos, vel Metropolitanos deferri debent, authent. de sanctissimis Episcop. §. si quis vero vers. Si autem: seu ad Concilium provinciale, seu nationale, cap. 2. c. accusatus, cum sequenti 3. q. 6. c. si clericus, vers. & si 11. q. 1. Trident. sess. 24. de reform. c. 1. vel tandem ad Summum Pontificem, qui in gravioribus Episcoporum causis adeundus est, d. c. accusans. Cui difficultati ut latisfaciant Abbas hic num. 3. Barb. de potestate Episcopi allegat. 112. accipiunt Primate in hoc textu pro Archiepiscopis & Metropolitanis, qui etiam Primate dicuntur, c. sane, de foro competensi. Illustrant Bosquerus in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 5. sed cum in praesenti de Primitibus majoribus agatur, necessario per eos intelligendi sunt Patriarchæ, juxta tradita per Cælarem de Eccles. hierarch. d. disp. 4. §. 2. Quare hac solutione omisso distinguendum est cum Duarenio lib. 1. de sacris Eccles. ministris, inter ius antiquum Pontificium, & novum; nam veteri jure canonico inspecto non solum discussio causarum criminalium Episcoporum, verum & sententia ad Synodum provinciale, vel Primate spectabat, ut probant textus ita accipiendi in c. ultio 3. q. 6. c. 1. & 2. 6. q. 4. c. Episc. 65. II. q. 3. Noviori tamen jure circa caulas graviores Episcoporum aliter cautum fuit,

ica

ita ut in illis sola discussio Concilio Provinciali, seu Primitibus permitteretur, Pontifici sententiā reservatā, juxta textus in d. cap. accusatus, cap. discutere, cap. quamvis, cap. multi 3. q. 6. Nec contrarium probatur in hoc textu; nam ut recte notavit Felinus hūc, num. 2. notab. 1. Felix in hoc textu non docet causas criminales Episcoporum ad Primates esse deferendas, ut ab eis sententiā terminentur, sed ut de eis judicialiter cognoscat; & si causa levis est, quia Episcopus civiliter accusa-

tur, eam decidat; alias causā discussā Romani Pontificis sententia expectetur. Prosequitur latius Marcha in concordia Sacerdotii, & Imperii, lib. 3. cap. 16. cum sequent. Ubi disputat tam ex veteri, quam novo iure, Episcoporum causā à quo sint terminandae?

f Referrur.] Sequuntur in ipsa epistola alia verba, quæ extant in cap. si Episcopus 3. q. 2. cap. si agrotans 5. q. 3. cap. infamie 3. q. 7. cap. peregrina 3. q. 6. cap. absente 3. q. 9. cap. si accusatorum 3. q. 10.

CAPUT. III.

Gregorius^a Guidiscalco Duci Campaniae.

Illa^b præpositorum solicitudo utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vendicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quidquam agendum prius, quam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore justum omne putat ira quod fecerit. Pervenit itaque ad nos, magnitudinem tuam usque ad hoc esse impetu furoris impulsam, ut non solùm frangi januas monasterii sancti Archangeli, verum etiam diripi exinde, quod ibi inventum est, feceris. Insuper autem sic contra Abbatem ejusdem monasterii diceris exarfisse, ut nisi occultans se, iracundia tua tempore latuisset, non leve discriimen incurrisset: denique ut metu tuo perterritus, de domo, in qua te olim receperat, exire nuncusque non audeat. Quod ne frustra fecisse forsitan videreris, fugam monachi ipsius, qui ad hostes c abiit, ad ejus, quantum ad nos perlatum est, crimen impingis, asserens quod cum ipsius voluntate fugerit. Quod si ita est, contristamur, & valde vestram sapientiam miramur. Nam si licitum putatis, ut aliorum culpa aliis sit nociva, multi huic possunt criminis subjacere. Diversorum enim nobilium servi, multarum Ecclesiarum clerici, diversorum monasteriorum monachi, multorum judicium homines s̄epe se hostibus tradiderunt. Ergo si hoc creditur, servorum utique Domini, clericorum Episcopi, monachorum Abbates, diversorum fugitorum judices, omnes sub culpa sunt & criminis constituti. Nunquid & diebus magnitudinis tuæ multi de civitate, in qua consistis, & ad^c Longobardos milites fugā non lapsi sunt? Et quis tantæ indiscretionis, tantæque possit stultitiae reperiri, ut eorum iniuriam tibi æstimet applicandam? Hæc itaque sollicitè pensa, atque ex te aliorum causas æstima, ut in quorundam adversitates falsis suspicionibus non ducaris. Siverò est aliquis, qui de prædicti monasterii Abbatे possit aliquid dicere, quod ad^c culpam, reatumque ejus pertineat, nos hoc non negligi, sed magis unā quidem cum eis, quorum interest, causam omnino districte & solite volumus perscrutari, ut aut feriat vindicta culpabilem, aut absolvat veritas innocentem. Si autem nullus inveniri potuerit, qui contra eum hoc, quod solus ipse perhibes, asserat: hortamur magnifice fili, ut à memorati monasterii, Abbatifque ipsius te adversitate contineas, & potius tuitionem illis, & propter Deum charitatem impendas. Et si quid est unde animi vestri fortassis offensi sunt, pro nostra eis interventione remitte: & ita vos, sicut Christianos convenient & prudentes, in eorum magis juvamine commodate: quatenus & nos vobis gratias referamus, & ante omnipotentem Dominum mercedem pro impensis servis ejus beneficiis, ac solatiis, acquiratis. Dat, mense Februarii, ind. iiij.

NOTÆ.

i. ^a Gregorius.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titul. c. 5. & reperiuit textus hic in ipsis epistolis D. Gregorii lib. 8. indit. 3. epist. 12. ex quo regesto restitu integrum hujus textus. Campania ab urbe Romana usque ad Siler Lucanæ fluvium perducitur, in qua opulentissimæ urbes Capua, Neapolis, & Salernus constitutæ sunt: quæ idè Campania appellata est, propter uberrimam Capuae planitatem, ut reserunt Italæ scriptores. Guidascalus hūus proviacia Duci

rescribit Gregorius in praesenti.

^b Illa.] Verba quæ sequuntur usque ad verbum facerit, extant in cap. illa ii. q. 3.

^c Abiit.] Forsan ut transfuga, ut hostibus fueret.

^d Longobardos.] Abbas in praesenti, num. 3. Felinus num. 2. Beroius num. 4. docent duo hæc differre in eo, quod per culpam inelligitur delictum ex negligencia proveniens; per reatum vero peccatum ex malitia, seu dolo procedens: quo sensu culpa in specie, & dolus differunt, & ut diversa propounderunt in l. contractus, ff. de R. I. d. de atate, §. qui in foib. Sine dolo male, culpā tamen, ff. de interrogat. Reatus